Edwardus dei gratia Rex Anglie et Francie et Dominus Hibernie Omnibus ad quos presentes
litere pervenerint salutem. Quia accepimus per inquisicionem quam per dilectum et fidelem nostrum Johannem de Coggeshale Escae-
torem nostrum in Comitatu Essex fieri fecimus quod non est ad dampnum vel preiudicium nostrum aut aliorum si concedamus
dilecto et fideli nostro Roberto de Burghchier quod ipse quoddam chiminum in campo de Braustede inter terram ipsius
Roberti ex utraque parte eiusdem chimini quod quidem chiminum se ducit de Halstede versus Colne et continet in longitu-
dine incipiens a quadam quercu vocata Crokedehok usque domum Johannis atte Hacche centum et sexaginta perticatas et decem
pedes terre et in latitudine unam perticatam et dimidiam terre in culturam redigere et illud sic in culturam redactum tenere
possit sibi et heredibus suis imperpetuum. Ita quod loco illius chimini quoddam aliud chiminum in solo ipsius Roberti adeo
competens transeuntibus fieri faciat. Nos de gratia nostra speciali concessimus et licenciam dedimus pro nobis et heredibus nostris quantum
in nobis est prefato Roberto quod ipse chiminum illud in culturam redigere et illud sic in culturam redactum tenere possit sibi et
heredibus suis predictis imperpetuum sine occasione vel impedimento nostri vel heredum nostrorum Justiciariorum Escaetorum Vicecomitum
aut aliorum ballivorum seu ministrorum nostrorum quorumcumque. Ita tamen quod loco illius chimini quoddam aliud chiminum in solo
ipsius Roberti adeo competens transeuntibus fieri faciat sicut predictum est. In cuius rei testimonium has litteras nostras fieri
fecimus patentes. Teste Leonello filio nostro carissimo Custode Anglie apud Gloucestr' octodecimo die Augusti Anno
regni nostri Anglie vicesimo primo regni vero nostri Francie octavo.

per breve de privato sigillo

Stanitede

16 Aug. [illegible] III

1347

N° 1

30/44